



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio Practica ...**

Unà cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

De SS. Missæ Sacrificio Juxta Ritum Romanæ Ecclesiæ offerendo - Unà  
cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

Tit. XIII. Preces in recessu ab Altari Sacerdotibus dicendæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48307](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48307)

est, vertente; Diacono interea quasi medio inter Celebrantem & Subdiaconum, aliquantum tamen post Celebrantem, stante. Qui ambo ad benedictionem Celebrantis genuflectunt in supremo gradu ad bina latera Celebrantis, &, dum is benedictionem dat Populi, etiam ipsi sibi Crucis signum formant.

VIII. Episcopus autem ter benedicit Populo, etiam in Missis privatis, ut in Cæremoniali habetur.

TITULUS XIII.

PRECES IN RECESSU AB ALTARI  
SACERDOTIBVS DICENDÆ.

*Antiph.* Trium puerorum cantemus Hymnum, &c.

*Canticum trium puerorum.* Dan. 3.

Benedicite omnia opera Domini Domino &c.

*Psalm.* 150. Laudate Dominum in Sanctis ejus.

*Sumuntur ex Laudibus Dominica. Deinde repetitur Antiph.*

Trium puerorum cantemus Hymnum: quem cantabant Sancti in camino ignis benedicentes Dominum.

*Quæ Antiphona in Festis Duplicibus tantum Duplicatur: & in Missis, qua ritu Duplici, id est, sub una Oratione (etiam pro Defunctis) dicuntur: & tempore Paschali additur in fine, Alleluja.*

*Sacerdos dicit:*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

✠. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos à malo. Amen.

✠. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.

R. Et Sancti tui benedicant tibi.

✠. Exultabunt Sancti in Gloria.

R. Lætabuntur in cubilibus suis.

✠. Domine exaudi Orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

✠. Dominus vobiscum.

R. Et cum Spiritu tuo.

*Instruct. I.*

R

O R E-

## O R E M V S.

**D**EVS, qui tribus pueris mitigâsti flammâ ignium : concede propitius ; ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

**A**ctiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere : ut cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cæpta finiatur.

**D**A nobis, quæsumus Domine, vitiorum nostrorum flammâs extinguere ; qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

## TITULUS XIV.

ORDO MISSÆ, ET EIVSDEM RVBRICÆ  
EXPLICATIVVS IVXTA POSITÆ.

**H**Actenus Rubricas Missæ Notis brevibus satis, ut opinor, sunt illustratæ. Quia tamen non omnibus placet, longiores ejusmodi explicationes perlegere, sed potius in compendio tam ipsum Missæ Ordinem, quàm Rubricas juxta quamvis Missæ partem positas habere volent, ideo ut huic etiam desiderio faciam satis, facilioremque Instructionis, quâ Sacerdotij Candidati in Cæremonijs Missæ instrui solent, praxin efficiam, eundem Ordinem cum Rubricis ex latere positus breviter etiam hîc inserere placuit, uti & in fine notas pro certis Missæ partibus adijcere, ut ijs, qui addiscere & Cantum & Cæremonias Missæ voluerint, & Missale non habuerint, hic libellus pro Missali servire queat. Quia verò plerumque etiam Neomystræ primam Missam de SS. Trinitate legunt, aut canunt, ideo hanc etiam præ reliquis eligam, & pro Exemplari huc apponam ; ex illa enim tanquam difficiliori faciliè etiam aliarum Missarum ritè dicendarum praxis addiscetur.